Medaillon-Stempel No. 15 vernickelt vergoldet

PORTUS
Meritorum & Gloriæ,
In
Avita PORTA
ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI
DOMINI
D. LUDOVICI CAROLI
De Koziełsk
OGINSKI
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
Episcopi Smolenscensis
Canonici Vilnensis, Præpositi Bobroyscensis &c.
OBSERVATUS
Atq;
Inter Fortunatissima,
Pontificiæ ad easdem Insulas Inaugurationis solennia,
E publico Palæmonij orbis Voto,
Inter gratulatorios applausus,
Panegyrico Stylo
CELEBRATUS
Ab
Universitate Academica Vilnensi Societatis IESU
Anno
In Divini Sanguinis Erythræo, ad immortalis PORTUM Gloriæ enatantis Universi, 1718.

VILNÆ, Typis Academicis Societatis IESU.

In Ducalem PORTAM Antistitis Illustrissimi.

Attollite PORTAS Principes Vestras, & elevamini PORTÆ æternales, & introibit Rex Gloriæ. Quis est iste Rex Gloriæ? Psal: 23.

REGES Sacrorum sunt ANTISTITES *Neot:*



I.

Aurea, quam spectas, PORTA est OGINSCIA! CLEMENS
Quid? Iubilæum an non hic celebrare parat?
Sic est. Ergo simul, sacri properetis Honores,
Insimul hæc cunctis, Aurea PORTA patet.

II.

PORTA patens esto, subeuntes cernis Honores:
Quid, si fata ruant? claudere PORTA celer!

AD ILLUSTRISSIMUM Ac REVERENDISSIMUM PRÆSULEM.

PAtescente ultrò hodie, ad ingreßum Honori Pontificio, Celsißimæ Tuæ Domûs Ducali PORTA, imò eâdem, inter auspicatißima ad Smolenscenses Infulas, Inaugurationis Tuæ solennia, in PORTUM Virtutis, Meritorum, & Gloriæ abeunte, etiam pedisequam Honoris umbram, inter festos hodiernæ splendores lucis,

patieris Facundiam ſubintrare. ANTISTES ILLVSTRISSIME. Vtut nimirum illa, pullo atratæ ſepiæ inſtructa compareat apparatu, nequaquam tamen, Serenitati hodiernæ Pompæ officiet; quia derivatum atrorem in ſe, à paucarum linearum umbrâ, albicantium paginarum, imò magis obſequioſi candore officij & affectûs temperatura: feſtiuos gratantium animorum plauſus non turbabit, multò minùs præpediet; quia laconicâ, vix aliquot periodorum dictione, eisdem conſultura. Vna eſt nihilominùs, quam ſibi ad obſcuritatem ignobilem, umbratilis hic, ſvadæ & ingenij partus, appingi veretur notam, ex eo, quòd de LVDOVICO, non(ut par erat)roſas loquetur & lilia; de Magno re & Nomine, in Patriam Meritis, in Religionem Virtute, & Pietate CAROLO, vix pauca, & illa parva duntaxat evulgabit; deniq; de ILLV-

STRIS-

STRISSIMA Ducali OGINSCIORVM Prosapia, non satis præclarè forsitan aget, ut debuit. Verùm dabis veniam, gratiamq; Præsulum Gratiane Gratiosissime; neq; minùs parcæ in Elogia Svadæ, quàm Tuæ parces Modestiæ; quâ, hodiernam Tuæ Inaugurationis Pompam, propè ad istam diem, latere proculdubio voluisti, ut centoculum alioqui induta Argum, ad hujusmodi gratulatorios applausus Vniversitas Academica, nequaquam tamen illam perspicere valuisset. Parces proinde etiam ANTISTES Maxime, tenuitati operis verè extemporanei; cujus Virtutes, Merita, & augusta facta, sæculorum, jam hodie etiam, exæquant fastos. Attolles tamen, erigesq; in hodierno ascensu Tuo, humi reptantem stylum, vel certè, si placuerit, Pontificio Tuo calcaneo proteres Sanctior Perseus, ut quod calcaveris, rosa fiat. Quanquam sperare licet, quôd

Præsuleam quoq; protendes dexteram, postquam deprehenderis, paucos hos, vectigali censu & cultu, aliquot foliorum, Tibi oblatos flores, nullis affectatæ Svadæ horrere lenocinijs, nullis aßentatricis Facundiæ vepribus asperari: Vera enim omninò esse, illa necesse est, quibus fingendis, tempus defuit. *Puteanus. Quidquid proinde tenue, quidquid exile, atque minutum, in succedanea Panegyri est, jam Tuis Pontificijs PRÆSVL Maxime grandescat à manibus, donec è voto Societatis minimæ (cujus hìc Svada agit internuntium) grandibus Tuis Meritis, & Virtutibus, pares tituli, titulis ætatum lustra, utrisq; sequioris fortunæ, atq; fatorum expers, ANTISTES perennaturâ æternitate Dignissime, correspondeas.*

Ita precatur
Illustrissimo Tuo Nomini, & Honori,
Devotissimum Collegium Academicum Vilnense
Societatis JESU.



PANEGYRIS.

NOn tam è tumeſcentibus cognatæ Balthidis, quàm de vertiginoſis, ineluctabilium pene fatorum vorticibus, quaſſata toties, totieſq́; jam propè naufraga, emerge aliquando, publicæ Felicitatis bajula, Lechicæ Fortunæ Argo, hodie tandem, in Ducali **OGINSCIORUM PORTA**, fortunatiſſimum proculdubio (ſic enim inter optimè ominata, **PRÆSULIS ILLUSTRISSIMI** Inaugurationis ſolennia, augurari licet) repertura **PORTUM**. Abſterge, non tam à ſalſa æſtuoſi maris, quàm ab amara procella lachry-

chrymarum, pupillam obrigeſcentem, inter publica, tripudiantis Gediminiarum Urbium Metropolis hujus hilaria; deniq;.

Mæſtum gemitu pectus, & hiſpidis
Frontem nubibus expedi,
Cùm ſol non ſolito lumine riſerit: Sarb: l. 1. Ode 2.

Imò quando non unus Sol, verùm biſgemini (in majalibus adhuc Geminis, ſtationem continuante Phœbo) grandia ſcilicet Orbis Sarmatici, & Eccleſiæ Luminaria ANTISTITES ILLUSTRISSIMI, hoc eſt Sacrorum Reges, ac proinde Lechici Regni Soles, ſerenitatem Tibi portendunt ac malaciam. Neſcio, quidnam præſagiêrint, ternæ ſimul, ſub Domicio Arimoq; Conſulibus, exortæ lunæ? quid rurſum ſub Poſtumio ac Minutio Romanis Quiritibus, tres unà viſi meridiantes ſoles? certè hodie, ſive geminas duorum Illuſtriſſimorum, Conſecratorum Tuorum LUNAS, Tuamq; tertiam, Lunæ inſtar effigiatam PORTAM ſuſpicimus, ſive ad quaterna ſimul, primæ magnitudinis in Orbe Palæmonio Lumina, præſagam palpebram reſle-

flectimus, ex utroq; hoc fortunato, tantorum concursu Luminum, communis faustitatis, nequaquam possumus, faustum non formare prognosticon. Verùm quid agis Svada? usq; festinè adeò, sed non festivè, à PORTU Felicitatis publicæ, observato in Celsissima Neo-Consecrati PRÆSULIS ILLUSTRISSIMI PORTA, recessisti? tam inconsultâ pennâ, in sublime tantorum simul Luminarium evolâsti? metuendum est sanè Tibi! ne vel cum Icaro, ambustis alis, in præceps delabaris, vel (quantùmvis Aquilarum polleres acie) à talium nihilominùs splendorum majestate opprimaris. Et verò, verèq; simul, dum sollicita, ad PORTUM hodiernæ præfixum Pompæ, reflectit se Eloquentia, relabi se penitus, totoq; circumfundi, novus hic Icarus deprehendit Oceano. Sive nimirum immensam Virtutum Tuarum, ANTISTES Maxime, contemplatur vastitatem, sive Celsissimæ Tuæ Prosapiæ, in Rempublicam, Patriam universam, atq; Ecclesiam, magnitudinem suspicit Meritorum, sive deniq; e-

jusdem Meritis fæderatæ Gloriæ, & Honorum expendit amplitudinem, meritò hìc, cum Pontano cogitur exclamare Vate:

Omnia, Pontus erat; deerant quoq; littora Ponto!

Metamorph: l. 1.

Patieris attamen, hâc tergeminâ vaſtitate grandeſcentem Tuum, Tuæq; Domûs Illuſtriſſimæ Oceanum luſtrari hodie, & in anguſtias temporis redactæ pennæ, anguſtis terminis circumſcribi. Si etenim, vix palmarem quondam in tabulam, ſeſe contrahi ab Apelle, tota Gigantum permiſit turba, ſi in annularem exiguam Pyrrhi ſphæram, integer cum Apolline Parnaſſoq; bicolli, Muſarum chorus paſſus eſt coarctari, ſi deniq; ipſe Hypponenſis Præſul, innocentem Angelico in Iuvene confeſſus culpam, mare ampliſſimum, arctæ ſcrobis anguſtijs concludere præſumente; quidni etiam innocenter, exilis Facundia, ſimile quidpiam hodie auderet attentare, unâ ferme in pagina, Tuorum decorum, atq; Honoris majeſtatem, uno prope in folio, Mappam veluti utriusq; Orbis, Sarmatici nempe & Palæ-

monij, Ducali Tuæ Domui, Erythræo Sangvinis Senatorij undiq; circumfusæ, Colligationis nexu arctissimo fæderati, tantò gratiùs, quia unico simul sub aspectu, positura.

Te tamen primùm hac in mappa, Illustrissimis Tuarummet Virtutum, quantùm potuit, non qualiter debuit, adumbratum proponet coloribus, non tam depretiativæ Tuæ modestiæ, quàm orbis universi appretiandum judicio. Ite jam oratoriæ in penicillos pennæ, sepia in cynnabarim, & in colorem candidissimum atramentum, inter cætera Virtutum decora, candorem mentis Pontificiæ testaturum. Equidem suæ quisq; ut vitæ, sic imaginis Apelles est, moribus illam depingens pulchriùs, quàm coloribus: verùm, quotumquemq; probatum hac in arte Parrhasium reperias, qui à nulla, recti honestiq; exerret linea? Assimulat nimirum quispiam Narcissum vultu, sed deformem refert Tersitem in animo; alter in fronte Hippolytum, sed molliorem quandoq; Paridem in mente pingit;

gerit alius Achatem in ore, ſed non rarò Ulyſſem in corde: jactant pleriq; tandem Gratianum, amoremq́; Patriæ Scævolam in dextera, ſed Neronem, & proditorem Zopyrum, eodem recondunt pectore: usque adeò ſors hæc nulli pene conceſſa viro, qui à primis lineamentis vitæ, ejusdem ſimulacrum, virtutum omnium effingat ad prototypon. Soli hanc ſpartam Tibi, Superos crediderim reſervâſſe, ut ſparſam per plures, compoſitiſſimorum ſymmetriam morum, diſtractaq́; ſigillatim in multos decora Probitatis, in Te transferres unum, & quæ diviſa beatos efficiunt, collecta poſſideres; utpote qui unus, in normam virtutum omnium, unus in ideam univerſorum, formabaris; verbo, qui à prima ferme Tuæ ætatis luce, ad hodierni Honoris augem, in qua jam Magnum Eccleſiæ Luminare conſtitiſti (brevi in hoc ipſo zodiaco, ad vota publica, altiores conſcenſurus gradus) Superum deſtinabaris ſuffragio. Enimverò ſi quondam licuit ex Ambroſij apibus præſagire, uti melleo Eccleſiam eloquio recre-

recreandam, ſic in monſtra hæreſeon, fatalia ab eodem torquenda ſpicula; ſi libuit ex audito concentu Angelico, futuram, naſcentis tum Kentigerni, virtutum vaticinari harmoniam; ſi tandem ab ipſis Præſulis Heriberti, cæleſti luce circumfuſis cunis, novum Religioni orthodoxæ conceſſum eſt augurari lumen; certè paria, Palæmoniæ quoq; Univerſitati placuit de Te formare omina, vel in prima tum adhuc Tuæ aurora vitæ, quantum in ætatis ac Pontificij Honoris meridie, univerſæ Eccleſiæ fulgorem accenſurus eras, nouus noſtri ſæculi Fulgentius. Impleviſti jam hodie, præſaga olim oracula Academi, qui virtutis omnigenæ, clarè in Te promicantes contemplatus igniculos, illudq; depromens vaticinium:

Apparet, quid ſigna ferant: ventura poteſtas
Claruit Aſcanio: Claud: de 4. Conſ: Hon:

illico Protaſevianæ gratulabatur Cynthiæ, Solem ſub ea Pontificum educari. Coronâſti fauſta omina etiam literariæ Reipublicæ, ipſe Corona Scientiarum, quas ita in pectus amoris regiam admiſiſti,

ſti, ut eaſdem Tui capitis faceres inquilinas, unà hodie cum eodem, Mitrâ Pontificiâ coronandas. Ominabantur equidem parem honorem ſibi, non Tullianæ tantùm Apollineæq; lauri, ſed Philoſophicæ quoq; & Theologicæ adoreæ, ideoque ambire eruditam exambiebant frontem, niſi ultimas, utcunq; Te reluctante, Sacer prævertiſſet Honor, pro Doctoralis byſſo Epomidis, Canonicâ Purpurâ ejus humeros inveſtiens, qui Atlas olim & Columen Eccleſiæ futurus erat; jamq; tunc, præſago Murice novum Sacris Regem conſignans Candidatum, cujus Præſuleam dexteram hodie, pro aureo Regnantûm ſceptro, Paſtorali auctoravit Scipione, pro ſphærico Regum Pomo, Pontificio annulo, Gemmam Pontificum ſigillavit. Nemo tamen Honori ſuccenſendum inde exiſtimet: novit nimirum ille, quibus, quæſitus per ardua, & per aſpera veſtigatus, ſe ſiſtat tandem, quibus ipſe, ne cogitatus quidem, & ante tempus occurrat ultrò; novit, quos fugere ſequentes debeat, aut ſequi fugientes; novit

vit

vit deniq; Penates alios per tranſennam veluti, hoſpes inviſere, alios incolere æternus inquilinus. Certè hodie, quisquis OGINSCIANAM PORTAM ſuſpexerit, meritò illam, Honori hoſpitalem PORTUM, fidamq; dixerit ſtationem, ex qua vel prodire duntaxat, eſt in Portu Dignitatum conſiſtere, imò ab ipſa naſcendi ſorte vix incipere frui conceſſâ luce, non aliud eſt, quàm reddi Illuſtriſſimum. Ardent ſcilicet etiamnum ad documentum veritatis, vel inter fatorum umbras ſereniſſimè, illa Ducum Severiæ, Kijoviæ, Czernihoviæ, Præjaſlaviæq; inextincta Lumina; fulgent Illuſtriſſimæ, Ducum DRUCCIORUM, TVERENSCIORUM, CZETVERTYNSCIORUMq; Ceræ, omnes olim, optatum Patriæ, inter iniquæ Fortunæ nubila, ſolitæ adferre ſudum. Sed quid, pridem inſepultos mortalitatis cineribus, ſplendores excitamus? quando intaminatis effulgent Honoribus, hodieque, in Illuſtriſſima OGINSCIANA ſemper utiq; Triumphali PORTA, tot Mitrata, Principum

cilice t,Ducumq́; in Mśćiſł'aw,in Koźielſk, in Korec, in Oſtrog, in Klewan Decora; tot ab Oſtro Senatorio, Ducum Laticlavijs, Togâ Pacis, & Sago Belli, Martialibusq́; ignibus clariſſima, tot à ſignatorijs Regni, Magniq́; Duc: Lit: Gemmis ſplendidiſſima, à Sereniſſimi quoq́; Tribunalis Mareſchalcali Scipione, Sereniſſima Nomina, in Senatu Numina, in Patriæ ſidereo Lumina. Inprimis tamen & maximè (ut cæterorum Tuorum Splendores Aboriginum, connivente pupillâ veneremur) reſplendet vivis adhuc ignibus, in Te, à Meritis & Virtutibus ANTISTES Clariſſime, Par conſpicuum, Illuſtriſſimorum in Republica Luminarium, hoc eſt Illuſtriſſimi Progenitores Tui, NICOLAUS FRANCISCUS OGINSKI, primùm Mareſchalcus Wolkowyſcenſis, brevi Enſifer & Theſaurarius Curiæ M. D. L. tandem Caſtellanus Trocenſis, ſemper Colonellus S. R. M. & Capitaneus Radoſzkowienſis, &c. nec-non Illuſtriſſima CATHARINA OGINSKA KOPCIOWNA, Digni, immortali terris affulgere

gere luce.nisi Ille volente cælo,per patentem Avitam **PORTAM**, hæc, suismet succisa Falcibus, ad perennes Divorum splendores transire elegissent. Subiêre ergo equidem,paralella hæc Sarmatici Poli Lumina occasum vitæ,fulgent ut dictum nihilominus,inprimis in Te, æterno Honorum meridie Præsul Dignissime,Maximumq́; de tantis luminibus Ecclesiæ illustrandæ Lumen! fulgent & in posthumo, magnæ spei sidere,minorenni Fratre Tuo ANTONIO,Capitaneo Radoszkowiensi & Berznicensi,hodie ad Tribunal M. D. L. Judice Deputato;imò mutatâ naturâ Luminum,vernant etiam in Illustrissima **ROSA KRASINSKA**, Castellana Plocensi,Capitanea Varsaviensi;vernant,verq́; æternum habent,in geminis,cælo gratissimi odoris Floribus,Vilnæ hìc ejus Viridario implantatis,quæ est,& dicitur Hortus conclusus,Virginis à Visitatione,semperq́; Beatissimæ;florent tandem in ultima,primævæ ætatis flore, **FRANCISCA**, florebuntq́; tamdiu & fulgebunt, donec

Terra feret stellas, cælum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas. Ov:l.1.Trist:El:7.

 Non

Non excito hìc, ad Martialis clangorem tubæ forsitan surrecturum, verè Martem Sarmatiæ, Illustrissimum GREGORIUM OGINSKI Capitaneum Samogitiæ, primùm Campiductorem, mox Magnum etiam M. D. L. Ducem; si Pacis consilia poposcisses? Marcellum, si Belli? Fabium, neutrobiq; Cunctatorem: in Armis tamen vel maximè, etiam ab hoste semper illam admirationem promeritum:

Prô! quantus armis? quantus in arduum
Assurgit ensem? quantus hastâ
Per Goticas - - phalangas
Exultat! Sarb: l. 4. Od: 29.

utpote qui pro incolumitate atq; integritate Patriæ, illam ore & pectore alter Pompejus semper gessisset tesseram:

Me solum quæso, me toti opponite bello. Luc:

Non turbo quietos Manes Achillis Palæmonij, re & vocabulo Equitis GEORGIJ germani Tui; cujus excelsæ menti postquam illud Senecæ insedisset: *Magnos natura nos produxit, deditq; excelsum spiritum, quærentem ubi honestissimè, non ubi tutissimè vivat,* certè sui Tuiq; Patrui(si permisissent fata)glo-

riam

riam exæquaret; commune cum eodem, modò quoq; meritus elogium:

Non segniùs ambo,
Æneas, Turnusq; volant per prælia: Æn: 12.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis. Æn: 11.

A pijs Manibus functorum vitâ, ad eos jam penna revola, quorum spiritu hodieq; feliciter Patria animatur: & quia vel ipsa **OGINSCIANI** Nominis in angustias redigeris majestate, volante stylo eorum percurre Album, quibus jam nunc quoque, vix fasti sufficiunt sæculorum. Primus est Illustrissimus **CASIMIRUS OGINSKI** Palatinus Trocensis, amore in Patriam Curtius, in Senatu authoritate Cato, Consus consilijs, totiesq; à Lechici Poli Jove, in omnium commoda, afflictæq; spei solatia, semper fidus, ad Orientem Mercurius. Alter Illustrissimus **MARTIANUS OGINSKI** Castellanus Vitebscensis; cujus si merita spectes in Rempublicam, omnes in uno Fabios numerabis; si consiliorum pondus in Curia, certiora quàm de Tripode audies oracula, si deniq; sancita in Areopago, redivi-

vum Lycurgum & Ariſtidem credes, Dignum certè, cui Palæmonia Themis, ſecundiſſimâ nunc jam vice, cum Mareſchalcali Scipione, ponderatrices æquitatis bilances concrederet. Addit huic pro ſuæ ſparta gratitudinis Collegium Vitebſcenſe, & in eo Univerſa Societas IESU, liberali ſymbolâ in erectionem novæ Baſilicæ obligata, illud votum: ut, quantò ſtructura hæc ſurget pulchriùs, tantò OGINSCIANUM ſublimiùs, immortalis Honor Nomen ad aſtra ferat. Augent OGINSCIANÆ Gloriæ majeſtatē, Illuſtriſſimus BOGUSLAUS OGINSKI Mareſchalcus Caunenſis, geminaq; illa, veluti Lædæ ſidera, IOSEPHUS & MICHAEL OGINSCIJ, ille Gorzdovienſis, hic Stokliſcenſis Capitanei, claram uterq; olim in Honorum zodiaco, Patriæ accenſurus diem. Utut verò cætera Illuſtriſſima, Svadæ tamen ignota Nomina, claudantur ad cultus tacitos Avitâ PORTA, illud tamen tacere nefas, Nomen & Numen Patriæ, ſuis Meritis vocaliſſimum, Illuſtriſſimum inquam LUDOVI-

CUM POCIEY Castellanum Vilnensem, Magnum M. D. L. Ducem, Tuum Patruum ANTISTES Illustrissime. Iactet Sospitatores suæ felicitatis Roma Æmilios & Camillos, stupeat Martialis miracula Fortitudinis in Pompejs ac Scipionibus, prædicet tandem per totum quà patet orbem, publicæ Parentes Pacis Titos & Augustos, omnes hos, suo sub AUGUSTO semper Secundissimo, habet in uno Lechia LUDOVICO, habet insuper Fatorum moram columenq; Regni, quo stante, illa quoq; æternùm stabit, dummodò æternum hoc conservent Superi Caput inviolabile fatis. Accedit ad Fraternarum consortia laudum Illustrissimus CASIMIRUS POCIEY Palatinus Vitebscensis, Grande & illud Meritis, grande Consilijs Caput; cui ut grata Patria, & singulariùs Societas Minima, Collegij Vitebscensis nomine(quod specialibus fovet gratijs, notabiliq; in novam Domûs Divinæ fabricam obstrinxit liberalitate)refundat vicem, non tam inanimis marmoribus, quàm semper gratitu-

dine Cordibus animandis inarat votum: Mecænas annis Marmora vince Tuis! Cæterùm, prætervolat hìc consultò penna, Colligatarum proximè, imò etiam arctissimo Sangvinis junctarum nexu, quà Sarmatico, quà Palæmonio Clarissimarum orbe Familiarum Decora; ne scilicet uno radio Solem, uno Olympum atomo, unà deniq; OGINSCIANÆ Prosapiæ vastissimè diffusum Oceanum, sepiæ guttâ velle depingere videatur, temerarij ausus minimè profectò evitatura notam, si compingere attentaret, ægrè utiq; levi hâc paginâ, vel nuda duntaxat eorum Nomina capienda, quorum grandia merita, totus Lechico-Littalanus vix capit Orbis.

Metire interim ANTISTES Illustrissime, ex hac Panegyrica umbra, Splendorem Tuæ Ducalis Domûs; cùmq; jam auspicatò, è Celsissima PORTA Tua, Pharum Tibi in Avitis Splendoribus accendente, in Pontificij Honoris PORTUM descenderis, tandem dispice, cui hanc Tuam Fortunam debeas; Sangvini Sena-

torio?

torio? an ad Purpuras natæ planè Virtuti Tuæ, Litvani Orbis hodie SENATOR Dignissime. Certè utrumq; crediderim; decidat id nihilominus Illustrissimus, Excellentissimus, ac Reverendissimus CONSECRATOR Tuus, in orbe Palæmonio Senatorum Primas, Pastorum Pastor, & Pontifex tot Pontificum, re ac Nomine semper Maximus CONSTANTINUS. Equidem debebatur pridem hodiernus Honor Ducali OGINSCIORUM PORTÆ, nunquam tamen eam hactenus nactus est hospitalem; non quòd tantæ Majestatis illa non esset capax, sed quòd fortassis viam ultrò præcluderet, solo hoc suæ demissionis titulo (si tamen fas est dicere) urbana minus. Primus Tu illam hodie ANTISTES Dignissime, diu utiq; jam pulsanti Honori Sacro reserâsti, patentibusq; Ianuis Hospitem excepisti, Avitæ PORTÆ Hæres humanissimus. Quis verò eam describat pompam, eumq; comitatum, quo stipatus, venienti Hospiti obviam processisti? Præmisisti antesignanam certè in illius cultus pro-

fundiſſimam Demiſſionem Tuam; prope hanc, ſubmiſſo vultu oculisq́; Modeſtiam ſubmiſiſti, quæ, dum ipſe tandem procederes Hoſpitis in occurſum, grato interim illum politiſſimæ urbanitatis diſtinerent officio. At ubi ipſe hodie moviſti etiam, quanta hìc Majeſtas? Occupabat nimirum Pontificios oculos Vigilantia Paſtoralis, genas purpureus Pudor, Muricis nempe Senatorij pingens Te Candidatum. Viſebatur in Fronte Majeſtas, in Lingva Facundiæ Divinæ lepos; in geſtu cernebatur Authoritas, in Dextra Liberalitas, Activitas in Siniſtra: ſtipabat dextrum latus Prudentia, ſiniſtrum Fortitudo, antè retròq́; cingebat vigil in omnes partes Perſpicacia; de Corde promicabat Divini Honoris zelus, & Patriæ Amor de pectore; in toto denique, ſtipantis Regina comitatûs, relucebat Virtus ſpecie auguſtiſſimâ. Stupefactus pene ad tam inſolitam Pompam Honor Pontificius, tantamq́; Tuam Majeſtatem demiratus, primùm ingemuit, quòd non citiùs, pulſanti ſibi, Ducalis PORTA magnis

olim

olim patefacta Triumphis, reclusa esset; mox Tibi PRÆSUL Dignissime, sibique gratulatus, ea tandem impleta vota, quæ istam ad usq; diem Superi differebant, hoc est in Celsissimæ Tuæ Domûs Ducali PORTA, PORTUM stationemque fidam ac perennem se reperîsse. Et hæc est quidem decisio, hoc judicium de Præsuleo Honore Tuo Illustrissimi CONSECRATORIS Tui, aliorumq; duorum, eidem Pompæ Assistentium. At quale vicissim de illis Tuum? ac præsertim de primo, imò Primate omnium Littalani Orbis Pontificum? Audio, credoq; inprimis, toto pectore, congesta in Te tot laudum encomia, in ipsum Fontem Gratiarum, & alterum nostri sæculi GRATIANUM CONSTANTINUM refundentem, addito illo voto:

Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo,
Quâ Caput augustum, quem temperat orbe relicto,
Accedat cœlo, faveatq; precantibus absens. Ov. l. 15. Metam:

Jam verò ad Tuum MISINOPOLITANÆ Infulæ Honor, Magni CONSTANTINI ut non impar laboribus sic

Honoribus COADJUTOR Dignisſime, M. D. L. Referendarie & Suffraganee Meritisſime, reſpiciens Salutiferum SAGITTÆ Sidus, utpote quod ſublime volat, nec tamen ullum vulnerat, tale illi, Tibiq; efformat omen:

Ibis, quà celer Hercules & Evan,
Vltra ſidera, flammeumq; ſolem,
Et Nili caput, & nives Athlantis!
Et laudum cumulo Beatus omni
Scandes Stat: l. 4. Syl: 3.

Ad Tuam demum, Hierapolitanæ Cathedræ Gloria, M. D. L. Notarie, & Albæ Ruſsiæ SUFFRAGANEE Dignisſime, reflectens ſeſe Infulis Coronatam in ARMIS LUNAM, vovet candidisſimè:

Omni detectus pectora nube
Finem Neſtoriæ, precor egrediâre ſenectæ. Stat: l. 1. Sylv: 3.

Et hic eſt tandem, in Celſisſima Tua PRÆSUL Illuſtriſſime, Ducali PORTA, Fortunatus Tuorum Meritorum atq; Pontificij Honoris PORTUS; ad quem & pedeſtri quodammodo viâ, anteſignanâ ſemper, ſemper Duce, comiteq; Virtute, & Purpurato Senatorij Sangvinis Erythræo perveniſti, Feliciorq; Jaſon hodie

hodie imò & Sanctior, quia non somniatum Colchide Vellus, sed Cælo concolorem Purpuram à Pontificij auro Annuli fulgentissimam invenisti. Quiesce in illo jam fortunatè tandem(si tamen vel ipsum Te quiescere OGINSCIANUM patietur Nomen, cujus utique, sicut & illi assymboli cognominisq; planè Ignis altera natura est, ferri continuò in sublime)& vel unum Laconico applausui momentum dona. Habes inprimis hic, collecta undiq; in Cor Litvaniæ, hanc Metropolim populorum vota; quibus dum Pontificiam impertis Benedictionem, audi hæc ab ore omnium, è pectoribus singulorum: Postquam in PORTU Honoris Præsulei constitisti, Vitæ à Portu nunquam, nunquam à nobisq; recede. Advolat quoq; cum suo Armato Equite, felicior Tolosânâ, quæ solum habuit LUDOVICUM, Mediolanâ fortunatior, quæ unum CAROLUM Borromæum, imò fortunatissima, quia utrumq; simul in uno Te habitura redivivum Sanctum Pontificem LUDOVICUM CAROLUM

CATHEDRA SMOLENSCENSIS; advolant & ipſa cum Orientis Aquilis, ſub Smolenſcenſis Palatinatûs centuriata Labaro, Ovium Tuarum Corda, quibus utiq; vel à longè adhuc auditus Tuus Amor addidit alas, interq; feſtivos plauſus identidem ingeminant:

Divis orte bonis, Optime Præſulum,
Paſtor *Gentis abes, jam nimium diu!*
Maturum reditum pollicitus, Patrum
Sancto concilio redi!
Lucem redde Tuis Paſtor ovilibus!
Inſtar veris enim, Vultus ubi Tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles meliùs nitent,
Hor: l. 4. v. 4.

Ultima tandem, quia Minima JESU Societas, cum ſua ſe ſiſtit Univerſitate Academica, repetitisq; cum profundiſſimæ gratulationis officio, omnibus præfatis votis, unum de novo ſuoq; addit: Vive tamdiu, æternis PRÆSUL annis Digniſſime, donec ſuperſint Honores quos occupes, Religio quam fulcias Grande ejusdem Columen, Ovium deniq; Tuarum animæ, quas Optimus Paſtor paſcas; neq; priùs

priùs à portu vitæ mortalis solvas, nisi tum demum, quando

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina, conversis solq́; recurret eqvis

Ovid. l. 1. Trist: El: 7.

Veriora ad extremum & certiora addit: donec immensæ æternitatis inundet Pontus & undiq́; Pontus, solusq́; intra Empyrei æternùm felices PORTAS supererit immortalis PORTUS HONORUM & Gloriæ.

401